



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 152. An in confessione explicari possit una species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**



capax non fuerit, *Dicast.* à n. 239. Reliqua intelliguntur ex dictis à n. 984.

Q. 152. *An in Confessione explicari possit una species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ.* R. § 1. Malè fit, si in eadem prima Confessione id fiat, quia est contra sinceritatem Confessionis, ideoque Sacerdos Confessario ignotus, qui fornicatus est, malè se confiteretur, *sum fornicatus, Peccavi contra votum in materia gravi, Lugo & alii cum Arr. d. 35. nu. 41. contra Suar., Avers. q. 10. f. 7. Dicast. d. 9. n. 170. Bosco d. 7. f. 8. n. 175.* Ratio est, quia explicat peccatum aliter, quàm commiserit, nam significat se duo peccata divisim commisisse habentia singulas primarias malitias, quarum nulla sit circumstantia alterius, quod falsum est, cum commiserit unicum habens duas malitias, quarum una est circumstantia alterius.

§. 2. Si quis sit confessus unam malitiam & oblitus alteram, tum tantum sufficit in Confessione sequente addere hanc alteram, quando per utramque confessionem omnes malitiæ sufficienter intelligentur, v. g. si Sacerdos ille heri confitens & non reflectens se ad circumstantiam sui voti dixisset, *sui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccasse contra votum Castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, *Navar. Henriq. Sanch. Bonac. Arr. n. 35. Bosco n. 170. contra Bonaspei d. 8. n. 112.* E. contrà si commisisset adulterium, & non reflectens se ad circumstantiam conjugatæ, dixisset, se esse fornicatum, deberet hodie iterum repetere adulterium, nec satisfaceret dicendo, intuli alicui, aut etiam conjugi gravem injuriam, quia per



neutram Confessionem intelligeretur malitia  
adulterii, quæ est specialis injuria facta conjugii  
& Sacramento Matrimonii, *Aversa* supra. *Steph.*  
t. 5. d. 5. n. 145. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 597. *Sperer* n.  
406. Quòd si quis furatus sit, ut se inebriaret,  
*Lugo*, *Tamb. Carden.* in 1. crisi d. 44. n. 131. di-  
cunt non satisfacere hodie dicendo, *furatus*  
*sum*, & cras dicendo, *volui me inebriare*, sed de-  
bere iterum confiteri conjunctum hoc vel si-  
mili modo, *furatus sum animo me inebriandi*, quia  
aliàs non explicat furtum fuisse in specie gulæ,  
in qua tamen fuit ratione finis, ob quem fa-  
ctum est. Sed in hoc probabiliter contradicunt  
*Caram.* & *Aversa* supra, nam speciem gulæ ex-  
primit: quamvis autem non dicat, in quo in-  
dividualiter actu voluntatis tanquam subjecto  
fuerit, hoc non videtur requiri, ergo cum an-  
tea expresserit speciem & numerum furti, jam  
autem exprimat etiam speciem & numerum  
gulæ, videtur totam malitiam sufficienter ex-  
plicare. Videri possunt *Arr.* à n. 42. & *Bosco* à  
n. 164.

1136 Q. 153. *An dentur peccata distincta specie in-  
adequatâ tantum, & quid de illis sit dicendum.* &  
*Oviedo* & *Compt.* De anima d. 5. s. 3. n. 5. admit-  
tunt in physicis distinctionem aliquam me-  
diam, quæ sit major quàm numerica & minor  
quàm specifica, quam vocant specificam inad-  
æquatam, v. g. dicunt Petrum & Bucephalum  
distingui specie, Petrum & Paulum numero,  
Petrum & Catharinam specie inadæquatâ.  
Cum proportione ad illam sententiam putant  
*Caram.* & alii dari in moralibus etiam peccata  
distincta specie tantum inadæquatâ, qualem es-  
se dicunt blasphemiam unam in Deum & alte-  
ram